

An der Spitze der Bucht von Breno, gegenüber von Ragusa, liegt Epidaurus, das heutige Ragusa vecchia. Die Fahrt

alumpnia et sine impedimento omni humane persone locum prefatum possideant. Quicumque autem causa invidie eis impedimentum fecerit Dei Omnipotentis et Virginis Marie et Principum Apostolorum Petri et Pauli atque omnium Sanctorum maledictionem habeant. Data mense Julio Indictione prescripta . . . .

† In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Episcopus Gabriel Zaculmie una cum iudice Miroslavo et Bano Rastimiro et Straimir et Procurator Craimir una cum omnibus Zacolmie Nobilibus. Venit ad nos Abbas Vitalis de Monasterio Sancti Benedicti Lacromen. querere locum Insula que vocatur Meleta et dedimus ei locum totum Babinopolle in quo est Ecclesia Sancti Pancratii tali de nomine ut si aliquis Zacolmie homo irritare hoc factum voluerit vel contrarium fecerit sit omnibus Zachulmie inimicus hominibus. Insuper maledictus sit a Domino, atque a duodecim Apostolis nexum a Sancta Maria Matre Domini et ab omnibus Sanctis, Et ego Presbiter Milogarus Sancti Michaelis jussu eorum scripti.

† Ego Franchius cum omnibus meis Jupanis et Nobilibus Zachulmie do et stabilitate affirmo Ecclesiam Sancti Pancrati de Babinopolla que est in Meleta .. et Monasterio Sancti Benedicti Insule Lacromensis precepto meo in scriptis et signaculo meo sigillatis quos Venerabilis Abbati Grobi . . . . . et propterea locum Sancti Pancrati absque omni inquietatione optineant et ad voluntatem suam in perpetuum possideant. Si quis autem Diabolica audacia impedimentum eis facere presumpsit ultionem Dei et iram super se excitetur eique Virginis Marie Sanctorum que omnium maledictionem incurrat.

† Quodam tempore facta est accusatio super Monachos Sancti Benedicti Lacromensis Insule quod incieste possiderent Ecclesiam Sancti Pancrati de Meleta coram me Bano Boritio Ego autem aures meas eorum fallacibus verbis non statim accommedavi usque dum veniret aliquis et Fratribus Monasterii. Interea siquidem veniens Dominus Vincentius Abbas predicti Monasterii cum quibusdam et Fratribus ostendit mihi litteras ydoneas atque veraces scriptas a Lottavito Protospatario et alias litteras ab aliis nostris antiquis decessoribus terre Principibus in quibus litteris data est dicta Ecclesia Sancti Pancrati prefato Monasterio Sancti Benedicti eorum sigillo affirmata. Unde ego Banus Boritius cum filiis meis atque propinquis quorum universo populo terre mee cum magno gaudio affirmo eandem Ecclesiam de Babinopolla que est in Meleta cum omnibus terris et planitie Monasterio Sancti Benedicti his in litteris Domino Vincentio eidem Monasterii Abbati datis et sigillo meo signatis ut sine omni impedimento possideant et secure optineant Ego et filii mei defensores protectores atque adutores existemus illorum omni tempore. Quicumque autem eis contrarium fecerit maledictionem et iram Dei super se concitetur eique ultione et iudicio cum omnibus damnatis. Data in mense Augusto die septima.

† Sicut enim mei predecessores et antiqui Nobiles Ecclesiam Sancti Pancrati de Meleta cum omnibus terris dederunt Monasterio Sancti Benedicti